

Letter 95: 8 May 1521, Basel, Valentinus Curio to Capito

The manuscript of the letter is in the municipal archive of Strasbourg 40, #57, f. 434.

Salutem in domino. Ingenter tibi praeceptorum ac servatorum meo amicissimo ago gratias, quod nuper literis tuis me Spalatino nostro commendasti, effecisti quod cupiebam. Dedit perquam amice tria vel quatuor exemplaria sane non minus erudita quam pia, sed et emptoribus maxime grata et vendibilia. Inhiant enim in huius generis lucubrationes, nam fere praeter  
5 Erasmica et Lutheriana iam nihil est quod quocumque fuco possit obrudi emptoribus. Praetera ab Hutteno magnifice sum exceptus, sed parum iam intelligo erga eum preces nostras profecisse, subdifficilem se praestabat in Quintiliano credendo, asserens necessarium fore ut ipse aliquot capita conferret, eo tamen pervenit tandem, si vellet eum edi, brevi me eius copiam esse habiturum. Ita discessi, civiliter denegata (opinor) eius libri copia, mittat an non plane dubius  
10 haereo. Cuperem maxime si fieri posset, ut ex officina nostra a principio iusta prodirent volumina, ita enim futurum esset ut acquisito nomine (ut vocant) a principio, facile etiam eruditorum favor subsequeretur, praesertim cum novos iam mihi fabrefecerim typos, quos tibi non dubito probatos iri, cuius rei specimen omnino praesenti tabellario tibi misissem, si ad biduum saltem manere potuisset. Absolvimus hodie *Ironias Hessii*, scholiis ac locis quibusdam  
15 illustratas per Nepotem meum et Beatum, occulte tamen; typis non usque adeo inamoenis iam primum noviter absolutis est editus; exemplar a praesentium latore accipias. Nihil aliud iam habeo, quo te servatorem meum donare valeam, alioqui quidvis in tuam gratiam ex debito facturum. Postremo oro atque obtestor benevolentiam ac pietatem erga me tuam, ut me diutius servatum velis, nam te superstite et nobis favente non possum non optima polliceri mihi; oro ne  
20 revoces, quae aliquando in te incivilius peccarim. Exuo veterem hominem et iuxta amicissimam admonitionem nuper mihi impartitam tuam, novus totus ero etc. Ass. tuus.

Vale, praesidium et dulce decus meum, et praela mea propediem vacantia, oro, exemplaribus si quae habes adiuvasse velis, cuius rei gratia me Spalatino nostro etiam literis commendatum reddidi, non dubito quin aliqua sit missurus. In qua re tuam admonitionem quid  
25 invicem ei praestandum sit lubens agnoscam. Datum raptim Basileae 8 May Anno 1521. Salutem te tibi deditissimus socer meus, cum tota familia nostra, praeter uxorem meam Annam, que iam deo vivit, cuius obitum anxie lugentis alterum enim oculum nos perdidisse quis dubitet. Vivat Christo praecamur in secula seculorum. Amen.